Sufficienter quantum existimo pertractauimus. Ho-
die debemus dicere quantum adiuuat dominus, quomodo ipse
Iesus Christus saluator noster et pastorem se esse dixit et hos-
tium, et pastorem bonum dixit intrare per hostium. Quomodo
ipse per se ipsum intrat? Si enim nemo pastor bonus est
nisi qui per hostium intrat, et ipse est praecipue pastor bonus ip-
se est et hostium, intellegere non possum nisi et ipsum
per se ipsum ad oues suas intrare, et uocem suam illis dare
ut sequantur eum, et per quem intrantes et exeuntes pascua
inuenire quod est uita aeterna. Cito ergo dico: Ego quaerens
intrare ad uos, id est ad cor uestrum, Christum praedico; si aliud
praedicem, per aliam partem conabor ascendere. Christus itaque
mihi ianua est ad uos, per Christum intro, non ad parietes uestros
sed ad corda uestra. Quid est per Christum intro? Christum in me libenter
[quare Christum in me libenter audistis]
audistis. Quia oues Christi estis, sanguine Christi comparati estis,
agnoscitis pretium uestrum quod non a me datur, sed per me
praedicatur; ille quippe emit qui pretiosum fudit sanguinem.
Pretiosus sanguis est illius sine peccato facti. Tamen ipse
etiam suorum sanguinem pretiosum pro quibus dedit san-
guinis pretium. Nam si suorum sanguinem non faceret
pretiosum, non diceretur: Pretiosa est in conspectu domini
mors sanctorum eius. Itaque etiam quod ait: pastor bonus
animam suam ponit pro ouibus, non ipse unus hoc fecit;
et tamen si illi qui fecerunt membra eius sunt, idem ipse
unus hoc fecit. Ipse enim potuit facere sine illis;
illi sine illo unde potuerant, cum ipse dixerit: sine me
nihil potestis facere? Hinc autem ostendimus quid et alii fe-
cerunt. Quia ipse apostolus Iohannes qui hoc quod
audistis euangelium praedicauit, in epistola sua dixit:
Sic ut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus
animas pro fratribus ponere. Debemus, dixit; debitores
nos fecit qui primus exhibuit. Ideo quodam loco scriptum est:
Si sederis ad mensam potentis cenare, sapienter
intellege quae apponentur tibi, et mitte manum tuam
sciens quia talia te oportet praeparare. Mensa potentis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0187